



PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

DE RECTA LINGuae LATInAE PRONUNTATIO-
NE.—De Qu., (Jové).

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

COMMERCium EPiSTULARE, (Lurz, Jové).

DE STUDiis MEDIIs CLASSiCIS, (Jiménez).

ACADEMiAE CERVARIENSIS ViRi LITTERATi—B.
MOXÓ DE L. GALLiSARiO, (Jové).

DELICiAE MEAE, (Pujolrás).

CURSUS GYMNASTiCUS.—Agricolarum felici-
tas, (Martija).


BiBLiOGRAPHiA, (Codina, Martija, Pastor,
Jové, Fanlo, Jiménez),
DE iATRONIBUS FABULA — COROCOTTA, REX LA-
TRONUM, in operculis.

EXERCiTATIONES SCHOLARES, in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

VI TULLIAE AGENDI RATIO



Cum domum rediisset Aulus atque in horto spataretur animi causa, vertulae mulieri occurrit quae vultu ingentem significabat lactitiam. Haec quidem mulier, Tullia nomine, uxoris Auli erat avuncula. Amiserat conjugem adhuc acetate florentem, amiserat et duos filios et postremo nepotem septem annos natum quem in Cilicia latrones rapuerant ad littus maris iudentem. Tot et tantos vertulae miserata casus uxor Auli a marito impetraverat ut intortunata mulier reliquam vitam Romae apud se ageret, quae in domo Auli sponte se abdidit tamquam in carcere. Numquam inde egrediebatur, nulli unquam adiuit convivio, numquam cum proximis ad aquas accedebat: totam se dederat dolori. Quam austrietatem adeo pertinacem Aulus graviter ferebat neque Tulliam malignis verbis lacescere omittiebat. Illa jamdiu istius domum reliquisset nisi Terentilla bonitate atque magna erga se observantia patris asperitas esset compensata.



TULLIAM igitur Aulus mordaci risu sic est allocutus: «Age, mater; nonne hoc anno venies Bajas nobiscum?» — «Tu nosti quaenam sit mea agendi ratio: Romae manebbo». — Quo reponso iratus Aulus, ut moris erat, iam mulieris animum nimis mollens deridebat, cum illa; «Parce, precor, facetis, quas ipsa contemno, et sine me abierte. Hoc unum habeto: utinam acerbatum quas pertuli semper sis expers». Aulus cum esset superstitionisissimus his verbis commotus est quae sibi visa sunt infusa. Minarum Corocottae est recordatus, timuitque nec tristitia illa verba in filiam reciderent. — Stetit igitur aliquan- diu animo curarum pleno. Sed paulo post: «Quid frustra crucior? Nihil est quod timeam; Sagaci possum confidere». Deinde arcessio dispensatori ut omnia ad iter quam celer- rime disponeret imperavit. Tum interrogatus quo die esset profecturus, aspere respondit: «Quando libabit». Sper- bat enim se, si diem profectionis alios celerat, posse Coro- cottae cludere vigilantiam; res eum tefellit, quod videlicis benevolè lector, si animum intenderis ad ea quae conse- quentur.

VII AULUS BAJAS PROFICISCITUR

PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutio[n]e antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España



De recta linguae Latinae pronuntiatione

De complexione litterarum Qu

Ut apendicem quandam pronuntiationis litterae c nunc pronuntiationem complexionis litterarum qu proponere constituimus.

Ante hos quinque annos ad nos pervenit lucubratio quaedam magnae eruditionis quam primum Dr. Ramirus Argüelles Hevia Professor in Seminario Almeriae orationem habuit aditiale curriculi academicici, et postea prelo commendavit.⁽¹⁾ Tota illa oratio in hac re unice versabatur: «Quomodo pronuntiari debeat u post q in verbis Latinis». Non ero ipse ex illis qui eam rem sicuti alias similes flocci faciam parvique censem momenti. Nam ut ille ait: «si Latini homines non pronuntiabant u post q, non tantum Hispani sed neque Itali unquam eam pronuntiare debent; contra autem si eam pronuntiabant Latini et nos Hispani, sicut Itali, eam pronuntiare perpetuo debemus»⁽²⁾. O veram vocem quae non ad hanc litteram dumtaxat, sed ad singulas erat transferenda!

Ille autem in utramque partem sincero veritatis amore argu[m]enta praebet et, quamquam ad non pronuntiationem illius litterae u protendit, id non facit sine errandi formidine. Plura enim animadvertisit in illa quaestione quae contradictoria videantur.

De hac nempe litterarum complexione qu plura dicta sunt: q litteram idem esse ac c, atque ideo supervacaneam; inutilem etiam esse u litteram quae q sequitur. Contra alii: q litteram satis esse distinctam a littera c ac proinde non esse supervacaneam; u autem

(1) Debe pronunc. la u inmediata a la q en pal. latinas? Almeria, Imp. Celedonio Pelaez, 1929.-

(2) Ibidem p. 55.

quamdam etiam habere propriam pronuntiationem, iis qui recte linguam Latinam proferre satagent, minime praetereundam. Eam sententiarum apparentem contradictionem fortassis non erit difficile explicare has propositiones singulas demonstrando: a) *Q* est complexio litterarum *CV*. b) *Q* postea credita est una littera atque eadem ac *C*. c) Huic litterarum complexioni addita est postea *u* parasitica, quae primam jam oblitam repreäsentaret. d) In ea complexione litterarum *u* littera non est vocalis, sed consona et quidem liquida. e) Quomodo ea sit pronuntianda. f) Casus alii in quibus *u* eandem vicem experitur.

a) *Q* est complexio litterarum *CV*. Apud veteres Latinos littera *c* sicut adhaerebat consonae *n*, ut in Cnaeo, sic etiam litterae *v*, non solum ut vocali, sed etiam ut consonae. Cum autem tam *v* consonae, quam *v* vocalis una eademque esset scriptura, ut omnibus notum est, facile erat ignaris consonam *v*, facere vocalem in pronuntiando, et mutare germanum vocabulorum sonum. Quod ut nemo efficeret ex **CV** consonantium, unum compo- **Q**, ut duplex illa duplice signo **CV** suerunt scriptores hoc modo **QV** consona unum sonum redderet ex duobus consonantibus compositum.

Q non exstitisse initio apud Latinos ut littera simplex auctor est praeter alios Marius Victorinus cujus verba describere hic placet: «Nec *g* quidem nec *q* Latinus sermo introduxit». (1) Hanc rem testatur etiam Isidorus Hispalensis: «*Q* litteram nec Graeci resonant nec Hebrewi; exceptis Latinis, hanc nulla alia lingua habet. Haec prius non erat, unde et ipsa supervacua est vocata, quia per *c* cuncta veteres scripserunt». (2) Despauterius adserit Nigidium Figulum in commentariis suis nec *k* posuisse nec *q*, nec *x* et Catonem dixisse Sabinos et Etruscos carere *q*. (3) «Auctoritas quoque tam Varronis quam Macri, teste Censorino, nec *k* nec *q* nec *h* in numero adhibet litterarum». (4) «*Q* ex *c* et *v* compositum – ait Funccius –, antea non fuit, sed postmodum etiam praeter necessitatem, nescio quo auctore, inventum». (5) Ad rem etiam maxime facit testimonium Velii Longi: «De *q* littera quaesitum est, et multi illam excluderunt, quoniam nihil aliud sit quam *c* et *v* et non minus possit scribi *quis* per *c* et *v* et *i* et *s*. Nam ipsa quoque nota qua scribitur, si modo antiquam figuram spectes, ostendit *c* esse et *v*. Pariter litteras inter se confusas *quis*, *quae*, *quid* scripserunt *qis*, *qae*, *qid*, quoniam scilicet in *q* esset *c* et *v*.» (6) Diomedes alias antiquitatis grammaticus praecedentibus adsentitur his verbis: «*Q* consonans muta ex *c* et *v* litteris composita supervacua, qua utimur quando *u* et altera vocalis in una syllaba junguntur ut

(1) Kell, VI, p. 2459. – (2) Etym. I, I. – (3) Comm. Gramm. - Orthogr. II. – (4) Priscianus Kell, II, 544. – (5) De puer. ling. Latinae I, 18. – (6) Kell, VII, 2218.

Quirinus».⁽¹⁾ Charisius etiam: «*q littera ex c et u litteris composita*»⁽²⁾ Eandem rem deducere licet ex illo quod tradit Despauterius de Papyriano: «Papyrianus libro quarto de orthographia scribit omnino id fieri non posse ut geminetur *u*, ne duae litterae ejusdem vocis et soni in unum confundi et coalescere videantur; hic igitur unico *u* scribeberet *equus, coquus, obliquus*. Eademque videtur Quintilliani sententia qui in libro primo de Instit. Or. vult *qum* adverbium per *q* scribi duabus sequentibus litteris ut *qum primum, qum facerem*. Is unicum *u* scribeberet *magniloquus* et similia».⁽³⁾ Cur illi scriptores negabant alteram *u* scribi posse? Quia sciebant *q* jam in se unum *u* includere. Quod confirmat Scaurus: «*Quis* quidam per *cvis* scribunt, quoniam supervacuam esse *q* litteram putant. Sed nos *c* in dativo ponemus ut sit differentia *cui et qui*».⁽⁴⁾

Verba tandem Martiani sunt haec: «*Q* quidam litteram non putabant, et vincerent nisi in *equo* et equitatu apparerent expresse. Haec nunquam nisi duabus vocalibus ponitur quarum prior erit *u* et sic ceterae consequentur ut *quartus, questus, Quirites, quotus, equus*. Constat autem ex *c* et *u* ideoque duplex et composita dicitur».⁽⁵⁾

(Sequar)

EMM. JOVÉ, C. M. F.

Narragonia et Crocodilopolis

ACTUS QUARTUS

IV 2, BARO, BUFO, ALASTOR (*sequitur*)

BUFO. — Paropamisadia est terra fertilissima, «pars, ut aiunt, caeli, quae cedit in terram»⁽¹⁾. Ubi porci cocti et cultro furculaque instructi vias perambulant et columbae assae per aera volitant; pro unaquaque hora somno tradita pensantur a magistratibus quini thaleri.

ALASTOR. — «Credat Judaeus Apella»⁽²⁾. Mendacia te callere sentio. Sed miror, quod illam regionem tam fertillem et opimam reliquistis et peregrinati estis hic.

BARO. — (*ad Bufonem solum*) Cum hoc homine colloquar solus. Nugis ineptis tempus teris. «Tempus est valore pecuniae»⁽³⁾. In hanc terram veni-

mus (*ad Alastorem*), non ut lucra faceremus, sed ut gravia negotia obremus. En, accipe! (*date ei nummum*) diem dege laetus!

ALASTOR. — Gratias maximas agit servus tuus (*pileo de capite detracto inclinat corpus coram Barone*); opto ut in posterum tibi serviam.

BARO. — Quaestionibus nostris responde, quaeso, sincerus! Nostine Berberitiam matronam nobilissimam et illustrissimam?

ALASTOR. — Optime, optime.

BARO. — Te nosse spero, quae agantur in palatio regio.

ALASTOR. — Vae, novi perbene. Per trienium fere ibi bacchantur et potant,

(1) Keil, I, 419. (2) Id I, 5.—(3) Comm. Gramm. Ars Vers. I I.—(4) Keil, VII, 544.—(5) Apuc Despauterium Comm. Gramm. Orthogr. - Litterarum ordo.

(1) Jacobo Sannazaro.—(2) Hor. Sat. I, 5. 96.—(3) Proverbum Anglorum.

quasi omnibus diebus celebrentur nuptiae. Utinam Baro rex noster hæc nosset! Qui profecto lamentandus esset si viveret.

BARO. — Vivit adhuc.

ALASTOR. — Confitemini ipsi: Nonne vobis videtur esse culmen quoddam fatuitatis et amentiae et scurrilitatis, quod cives nostri propter virgunculam vetulam, quae nihil ad nos pertinet, conjuges liberosque derelinquent et proficiscuntur in Centauriam terram barbarie famosam?

BARO. — Hoc discernere nolo. Sed manifesta potius, quae fiant in arce regia!

ALASTOR. — Confestim narratur. Ex quo in bellum Crocodilopolitanum profectus est Baro, domus regia, id est arx frequentatur a procis ventitantibus, qui regem cecidisse affirmant et Berberitiam uxorem sibi expetunt et bona regia luxuriose dissipant. Vix unquam satis boum, suum, piscium, gallinarum, caprarium, vini, cerevisiae, in arcem trasportare possumus. Proci autem dominantur in palatio, quasi omnia sint sua.

BARO. — Ah, dii, quæ audiol! (*sibi loquitur*) Et regina? (*ad Alastorem*)

ALASTOR. — Anno ante Berberitia, postquam Chrysocantharum filiolum Milvo proco auctore crudeliter fame confici jussit, omnibus fere divitiis palatii eruptis nave per ampla, cui nomen erat Brema, ad Papagoniam noctu aufugit una cum Pantalabo, cui proco belluoni paulo ante laetissima nupserat. Amaranta autem Crocodilopoli expugnata et eruta, cum Abdelcadero marito confestim

se recepisse perhibetur ad Zarathustram avunculum, qui Dalailama in India inter Gangem et Brahuputram et ab Himalaja usque ad Cum-Bum Tibetanum regnat Rosalinda vero virgo modestissima initio hujus anni a Saracenis, qui urbem diu, sed frustra oppugnarant, blanditiis deducta est in Africam mediam. Balsamina igitur sola restat in arce patrem reducem constanter expectans; fortiter resistit omnibus minis aut illecebris procorum, quorum quisque expedit eam matrimonio.

BARO. — (*sibi loquitur*) Sexcentas gratias omnibus diis! Sed millies vae procis, qui in palatum regium penetrarint!

BUFO. — (*ad Alastorem*) Num uxor quaedam tibi nota est, cui est nomen Isidora?

ALASTOR. — Nonne matrimonio conjuncta erat cum Bufone quodam, qui una cum Barone hero profectus est in bellum?

BUFO. — Quantum scio.

ALASTOR. — Isidora, ex quo Bufo maritus ejus ablit, valet optime. Casulam vendidit et cum Rhinocorace fratre in vico nobis vicino vitam agit lautissimam jucundissima concordia; heri Rhinocorax perquam se gavisum esse mihi dixit, si Bufo, qui puggerimus ac segnissimus ad nihil aliud idoneus esset nisi ad epulandum et potandum et stertendum, numquam rediret.

BUFO. — Gratias tibi pro hoc nuntio! Vale!

ALASTOR. — Vale! (*abit*)

IV 3. BARO, BUFO

BARO. — Quam jucundas res et spes!

BUFO. — Utique, rex; neque vero quidquam melius facere possumus quam ut tempori cedamus et animo aequo condiciones exspectemus jucundiores.

BARO. — Priusquam sol occiderit, funestum ac pestiferum judicium habeo de grege nequissimo procorum, qui

Balsaminae in arce mea ipsius regia molestiae continuae et oneri gravissimo sunt et contumeliis afficere audent me, qui bellator Narragoniae fortissimus legionibus fulminatricibus Crocodilopolim, gloriosissimum Centauriae decus, funditus delevi.

VIATOR, S. V. D.

Commercium Epistulare

*Domino Professori, Emmanueli Jové, Cerveriensi, «Palaestrae Latinae»
Moderatori, s. p. d.*

Amicus noster fautorque Societatis Lat. Monac. fortissimus, Prof. Dr. Hans Lamer nuntiavit te, Domine clarissime, scire velle Societatis Lat. Monac. origines, constitutionem, fines, etc. Qui nuntius mihi jucundissimus est. Libenter mitto ephemeridis nostrae fasciculos, unde omnia notescunt. Palaestra Latina Vesta mihi non ignota est. Eam maximi aestimo; saepe lego et gaudeo. Nonne fieri potest, ut vivissim mittamus sive commutemus fasciculos? Non ignoro quidem ephemeridem Monacensem tantum quater vel quinques in anno prodire. Nonne superari potest haec difficultas?

Libenter scribam, si placet Vobis, nuntios accuratiores. Iterum dico salutem.

DR. G. LURZ

*Emmanuel Jové, C. M. F., Professori et Doctori Domino,
Georgio Lurz, Societatis Latinae Moderatori, S. P. D.*

Tuas litteras nuper accepi easque satis liberales et modo etiam fascem novem quaternionum vestri pulcerrimi commentarii «Societatis Latinae». Eos perlustravi singulos quamvis perfunctione et saporem in animo jucundum reliquerunt. Nos vero commutationem nostri commentarii cum vestro accipimus libentissime, neque ullam in re superandam censemus difficultatem.

Clarissimus ille Dn. Hans Lamer suo ipse calamo se obtulit in Palaestra Latina de Societate Latina scripturum. ⁽¹⁾ Qua re, ut nunc est, nuntios accuratiores de ea abs te non efflagitamus.

Una igitur cum epistula tabellario commitimus totam fasciculorum collectionem adhuc editorum «Palaestrae Latinae».

Tibi perpetuo obsequentissimus vale dicit.

De Studiis Mediis Classicis cursibus Academicis praemittendis

A commentario juridico canonico "Apollinaris" (Oct.-Dec.
1934, 492-500) in PAL. LAT. compendio recipimus

Quaenam sunt studia media classica quae requiruntur ut quis possit in aliquam ecclesiasticam Facultatem adscribi?

Studia media classica Facultatibus ecclesiasticis praemittenda juxta praescripta S. Congr. de Sem. et Stud. Univers. ordinata sint; iis praescriptis deficientibus, juxta civiles ordinationes clericis rite educandas accomodatas.

(1) cfr. PAL. LAT., a. V. p. 108.

De studiis mediis Codex (c. 1364) praecipit ut eadem praeter scholam religionis quae praecipuum locum obtinere debet, comprehendant linguis Latinam praessertim et patriam nec non ceteras disciplinas quae convenienter communi omnium cultui et statui clericorum in religione ubi futuri sacerdotes sacrum ministerium exercere debent. Has condiciones pressius definiverunt postea Const. Ap. *De scientiarum Dominus art. 25, 1.^o, Ordinationes S. C. de Sem. et Studiorum Univ. art. 13-15.* Ejusmodi enim ordinationes curriculum medium studiorum classicorum, comprehendunt praeter convenientem institutionem religiosam et linguas litterasque Latinas, Graecas, patriasque disciplinas praecipuas, etiam historiam naturalem, mathesim, phisicam, historiam civilem. Ex quibus mens Ecclesiae facile colligitur, quae est ut studia media classica Facultatibus ecclesiasticis praemitenda non inferiora sint communibus studiis mediis quae in Facultatibus civilibus requiruntur.

Praestat igitur in primis cognoscere quaenam studia media classica vigeant apud varias nationes ut eadem prae oculis habere possint qui officium habent ecclesiasticam institutionem moderandi.

CIVITATES	LINGUA LATINA									LINGUA GRAECA										
	HORAE SCHOLARES IN HEBDOMADAM																			
	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	Summa	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	Summa
Anglia	3	4	4	5	5	5				26		3	3	4	4	4				18
Austria	5	5	5	6	6	5	5			37				5	5	5	5	5	5	25
Belgium	7	7	7	7	7	7				42		5	5	5	5	5				25
Germania	{ A (1)	6	6	5	4	4				25		4	3	2	3					12
		6	5	5	5	4	4	4	4	37		3	3	3						9
Cecoslovachia	5	5	5	5	5	5	5	5		40		4	4	4	4	4	4	4	24	
Gallia	6	6	5	4	4	4	2			31		3	3	4	4	2			16	
Germania	{ A (2)	6	6	6	5	5	5	5	5	48				6	6	6	6	5	5	34
		8	8	8	7	7	6	6	6	62				6	6	6	6	6	6	36
Hibernia	4	5	3	4	4	4				24		4	4	5	4	4	4			25
Hispania				6	6	3	3			18										
Hollandia	8	5	5	5	7	10				40		6	6	5	6	8				31
Hungaria	6	6	6	6	5	5	5			45				6	6	5	5			22
Italia	8	7	7	6	6	4	4	3		45				4	4	4	4	3		19
Iancilandia	8	5	5	5	6	6				32		3	3	5	4	4				19

(1) Canada: A, Linguae Galligae; B, Linguae Anglicae.—(2) Germania: A, Borussia; B, Bavaria.

Ordo disciplinarum praecipuarum in scholis mediis classicis modo vigens

CIVITATES	Anglia			Austria			Belgium			A. Canada (1) B			Gallia			A. Germania (a) B			Hibernia			Hispania			Hollandia			Hungaria			Italia			Status Federati Americæ		
	Summa (3)			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa			Summa					
Religio	.	.	.	20	16	6	14	8	16	18	18	18	20	18	18	20	18	18	20	18	18	20	18	18	20	18	18	20	18	18	20	18	18			
Lingua patria et litteratura	.	30	32	12	25	29	40	23	29	31	29	29	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21	21			
Linguae exteræ	.	30	16	15	26	24	20	15	15	15	15	15	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12		
Historia et Geographia.	.	27	31	12	10	10	10	20	24	30	30	30	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24	24		
Mathematica	.	30	26	18	17	29	24	18	18	31	31	31	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30		
Physica et Chymica	.	14	2	17	18	18	18	11 1/2	6	12	12	12	6	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18		
Scientia de rerum natura	.	12	14	6	2	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12	12		
Philosophia	.			4		18																														

Animadvertes unam Hispaniam Graecæ linguae cultum neglegere; tamen in decreto medium institutionem innovantem innuitur convenientia instituendi cathedralm linguae Graecæ saltēm in præcipuis Gymnasiis. Religio tum in Hispania tum in Gallia parvi habetur; in ceteris Civitatibus plus minusve colitur.

Ut vero lectores ampliorem hujus rei cognitionem percipere possint haec omnia conferant oportet: Plan d'études et programmes de l'enseignement secondaire, 6 ed. Paris, 1921; The Classical Investigation, Princeton, 1924 (Part one: General Report); id. 1925 (Part three: The Classics in England, France and Germany); Revue des Etudes latines: Les Études Latines dans le monde—chez les Témoignages (Novotny) 1924, p. 166—; en Roumanie (Lambribo) 1925, p. 65—en Angleterre (Gurner) 1925, p. 220;—en Pologne (Mayle) 1928, p. 127;—en Hongrie (Lajti) 1929, p. 34;—aux Etats Unis (Peeters) 1932, p. 315;—en Espagne (Pabón) 1934, p. 40.—Bull. G. Budé: Janvier 1932, p. 38, Les études classiques en Hollande (L. Alma); juillet 1932, p. 14, L'humanisme en Pologne (Maley).—Gymnasium: 1933 34, pag. 46, 14 r. 237, 271: División dei programma d'Italia per il Gimnasio inferiore, id. per l'instituto magistrali inferiore.—El Magisterio Español: cuestionario de lengua latina según la nueva reforma del bachillerato en España, p. 77 (10 Enero 1935).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) A. Canada linguae Gallice; B. id. linguae Anglicæ.—(2) Germania A. Botussin; B. Bavaria.—(3) Summa horarum in hebdomadam.

Academiae Cervariensis viri Litterati

Benedictus Maria de Moxó.

Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Benedictus Maria de Moxó et de Francolí natus est Cervariae IV Idus Apriles anno 1773, mortuus autem Episcopali dignitate auctus Saltae in civitate America- na apud Tucumanum anno 1816. Cum esset monachus ad Sancti Cu- cuphatis in agro Vallensi et primum super visimum ageret aetatis annum Romam venit ut sub Josephi Nicolai Azara viri Celtiberis au- spiciis majores in litteris faceret progressus. Redux in patriam post quattuor annos luculentissimam orationem funebrem habuit cum in aliam sepulturam transferrentur exuviae Abbatum illius Cenobii antedecessorum, de quibus postea historicum tentamen etiam edidit. Anno 1792 humaniorum litterarum cathedram obtinuit in Academia Cerva- riensi quam postea saepe honestavit, praesertim cum anno 1797 ex regii decreti auctoritate Apollinari laurea donaretur, aliamque elegan- tissimam haberet orationem. Anno 1798 commentarium de vetustissi- mis philosophis scripsit ab atheismi criminis vindicandis; anno vero 1802 de Josephi Rialpii, jurisconsulti Barcinonensis, singulari in lit- teris praestantia; tandem de philosophia cum religione foederata ad- versus sophistas et atheos. Sunt et alia scripta et orationes quas ipse Cicero sibi non dedit. De ejus in litteris Latinis elegantia speci- men videbunt lectores nostri in praefatione ad Josephi Finestresii com- mentarios a clarissimo Luciano Gallisario editos, quam ineditam animadvertis. En igitur vobis loquentem litterarum Latinarum ma- gistrum:

Benedictus Moxó Lacetanus de Luciano Gallisario ad lectorem

Quod te paucis in ipso hujus com- mentarii aditu et vestibulo morer, aequi bonique, opinor, consules, lector huma- nissime, si quae mihi te nunc interpellandi causa ac ratio fuerit, cognoveris. Existimavi namque non parum studia tua interesse, hujus quam tu jam jam percurrere aves historiae clarissimum scriptorem Lucianum Gallisarium, civem Ausetanum non de nomine tantum sed penitus atque omnino cognitum habere. Neque enim sine maxima causa Plato affirmabat. ejus nos dictis facilime cre- dere, quem et plus quam nos sapere et docti eruditique, ac boni viri famam sibi constanter peperisse videamus. Quapropter haec saltem de praestantissimo viro atque eximia in omni litterarum ge- nere gloria abundant, praefari in praes- entia, bona, quaeso, lector, tua venia liceat.

Illud igitur primum universe testor, me cum multos hujus memoriae doctos atque eruditos homines et Hispanos et exterios saepius convenerim; neminem tamen hactenus invenisse in quo majora ac praeclariora vel ingenii vel studii ad- jumenta et subsidia versari deprehenderem. Itaque minime mirabar cum majo- res natu cives mei, me praesente, com- memorarent eum tantos jam in litteris bonisque artibus processus in adules- centia fecisse, ut vel in illa aetate, sum- mis quibusque viris pax esse in ea laude videretur. Memini me a gravissimo quo- dam hujus nostrae Academiae professore audire, Lucianum olim Gallisarium ad- huc juvenem ad hanc urbem ea de cau- sa appulisse, ut prima rhetorices ele- menta in eadem pueris traderet. Cum autem non parvam ob ingenii famam apud omnes exspectationem sui conmo-

visset, Josephum Finestresium vix illius auditio adventu ad eum domi cupide, periclitandi experiundique hominis causa, adiisse una cum Bartholomeo Povio Ballearico, quo Finestresius propter studiorum similitudinem familiarissime utebatur; multaque eo die tres illos viros de studiis humanitatis deque omni genere doctrinae inter se contulisse: quem quidem sermonem cum ad aliquot horas produxissent, ubi ab eo discesserunt; tum Finestresium ad amicum conversum magnopere vereor, o bone. — dixisse — ne nos veterani scilicet milites, huic novo tironi palmam concedere debeamus.

Nihil profecto tam a docti ac sapientis hominis persona abhorret, quam invidia atque obtrectatio; cum id e contrario homines vere docti ac sapientes in more semper positum habuerint, ut si quando in alio praeclarum aliquod ingenii doctrinaeque lumen aspicerent, applicarent se statim ad illum, eumque socium et consortem gloriost laboris adsumerent. Itaque ab hoc ipso eruditissimo sermone repetendam potissimum arbitror eam conjunctionem atque amicitiam, quae Gallisario deinceps cum Finestresio et Povio perpetuo intercessit; ut illa, nulla re alia umquam, nisi utriusque morte potuerit finiri. Est mihi nunc in manibus litterarum a Gallisario ad Finestresium scriptarum fasciculus, Mitto urbanitatem, mitto leporem, mitto Atticum Romanumque salem, quo illae omnes conditae sunt. Non id nunc agitur. Nemo easdem attendius legerit, quin facillime intellegat, nihil omnino Finestresium Galisario operi celatique in vita voluisse, sed cum eo uno in primis pulcerrima quaeque atque ad litterarum splendorem et gloriam magnopere pertinentia, consilia sua communicasse. Quod vero ad Povium attinet, testis ego ipse sum, eum Gallisarii memoria ac desiderio magnopere moveri consuevisse; cum saepe mihi senex humanissimus adfirmaverit, nihil sibi tam in votis

esse, quam ut studia sua cum illo conjungere liceret; quod si quandoque adsequeretur, ingravescentis jam aetatis ac valetudinis molestias, una illa suavissima litterati otii cum eo conjunctione, minus multo moleste atque aegre esset latus.

Enim vero Gallisarius eam tum brevi tempore de se opinionem Ferrariae, hoc est in amplissima Italiae urbe eademque omnium praeclarissimarum doctrinarum laude florenti praebuerat, ut publicae illius lycei bibliothecae praeficeretur; atque in eo munere Hispanus licet, duobus doctissimis Italis Andreae ac Caesari Barotis, ingenti omnium plausu succederet. Neque id injuria. Nam ut Johannes Andresius scribit, haud facile fuisset alium invenire, qui illum omnis eruditonis doctrinaeque copia aequaret.^(a) Itaque ejus potissimum opera atque studio, sic paucis annis Ferrarensis bibliotheca, ab exiguis aut certe non ita magnis profecta initis crevit, ut tota Italia non tam quidem ob librorum et typis editorum et manuscriptorum numerum, quam ab eorumdem exquisitum utilissimumque delectum celebraretur.^(b) De qua quidem re praeter illud Andresii, de quo modo dicebam, gravissimum testimonium, exstat etiam aliud luculentissimum documentum Thomae Serrani, viri doctissimi humanissimique et quem in Latina poesi alterum nostrae aetatis Hispanum Martialem veteri illi nulla ex parte inferiorem habeamus. Is igitur cum eruditum quemdam amicum Italiae videndae cupidum alloqueretur:

Si vis, ajebat, Italiae politioris
Cultos nosse viros et elegantes...
Ad pulcrum Eridani venito divam
Urbium invidiam elegantiorum...
Huc ut veneris ibis ad Lyceum
Notum conspicuis prius magistris,
Novis notius attamen magistris:
Nam auctum Pontificum modo a duo-
[rum

(a) Gallisá, como te he escrito varias veces, tiene muy pocos que le igualen en toda erudición. Cartas familiares de D. Juan Andrés a su hermano, t. I, carta 2. — (b) Aun ha ganado más la biblioteca pública (de Ferrara)... por la diligencia y habilidad de su bibliotecario el eruditísimo español D. Luciano Gallisá, (Id. eodem loco)

Clementisque Plique vero amore,
In dies magis ac magis nitescit,
Seque clarior incipit videri...
Post videnda tibi omnia tuenti
Raris bibliotheca facta librī:
Hanc nobis dabat antea fruendam
Caesar filius illius Baroti,
Quo Ferraria jure gloriatur:
At tibi reserabit unus omni
Eruditus in arte Lucianus.

Quod quidem poēma cum anno MDCCCLXXXVIII Michaël Garcia Falgiñiae, quod Umbriae oppidum est, ederet, lectorem sedulo monebat de Luciano Gallisario Gotholauno ibidem agi; qui scilicet tamenti in media llaliae luce habitaret, omnibus tamen supra fidem eruditus videretur. (c)

Nunc ut ad Andrem redam, dici vix potest, quam prolixē semper is de Gallisarii ingenio doctrinaque existimaverit. Quem cum unus ob intimam familiaritatem intus et in cute perspectum maxime haberet, neminem omnino libentius promptiusque ac majore cum fructus spe consulebat, ubi quid sive in veterum sive in recentium scriptorum lectione et tractatione ei occurseret, de cuius sententia non satis sibi liqueret. De qua quidem re non id nunc nos dicimus, in quo nihil praeter auditum habeamus, sed cuius nos ipsi e contrario testes saepe atque spectatores fuerimus. Nam cum anno MDCCCLXXXV nibilissimum illud par amicorum, florentissimas quaque Italiae provincias, non inanis ut plerumque sit curiositatis explendae causa, sed eruditio[n]is doctrinaeque studio obirent atque Romae tres ut opinor menses constitissent; ego qui paulo ante ibidem appuleram, ut in ea potissimum urbe elegantioribus musis omnibus litarem, ita eos cupide officioseque assectabar ut quoad possem et liceret, quemadmodum olim Cicero adulescens a Quinti Scaevolae sic ego ab eorum latere num-

quam discederem. Per eam igitur ipsam occasionem, quantum Andrem Gallisarii iudicio deferret, facile intellexi; neque id solum tum cognovi sed illud etiam haud minus aperte perspexi, plurimos Romanos cives, qui magnum sibi nomen, luculentissimis in vulgus editis scriptis quaesissent, et qui, ut illius gentis est mos, de nostrorum hominum in litteris humanioribus gloria crebro detraxissent; eos viso auditoque Gallisario, ingenuo quodam pudore ruboreque subfundì.

Itaque haud praeter opinionem mihi accedit, cum ex ejusdem Andrem litteris ad nostrum datis intellexi hos de vita et scriptis Finestresii commentarios, quorum fama Alpes jam illas atque Apenninum transcendisset, vehementissime a multis doctissimis Italis exposci, ac paene convicio efflagitari cum nimiam quemadmodum ipsis videbatur, academicī typographi moram, apud eundem Andrem, identidem accusarent. Id enim sibi illi firmissime persuasserant: hoc volumen e Gallisarii manib[us] ita proditurum, ut in eo uno et exquisiti acerrimique judicii et reconditae variaeque eruditio[n]is atque doctrinae, omnes inventum iri numeros sperarent. Quod quidem cum eos rectissime verissimeque censuisse videam, et cum hunc librum praestantissima Gallisarii fama atque existimatione, longe dignissimum iudicem, de hominis laudibus dicere jam ulterius, lector humanissime, supersedeo. Id unum modo in fine addam, de quo nobilissimum Hispaniensis historiae scriptorem, Johannem Masdevium confirmantem vidi: in hoc scilicet commentario, et de Finestresii rebus et a Gallisario scripto, tamquam in tabula quadam picta, duorum nos simul summorum sapientum imaginem, vivis expressam et politam coloribus habiturum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(c) Ita ille ad clarissimum non modo Gallisarii sed omnium paene Hispanorum, quicumque elegantiores litteras bonasque artes impensis hoc tempore excolunt, amicum, praestantissimum vero civem meum Josepbum a Vega e Legionensi usque urbe scribebat: «D. Luciano Galisá es uno de los hombres más doctos y eruditos que yo conozco. Si V. logra que publique su vida del Sr. Finestres, tendremos en una misma obra el retrato de dos grandes sabios».

DELICIAE MEAE

Ut juvat ictum cervum ad aquarum currere fontes;
Ut florum api de nectare
Mel fabricare placet;
Ut libet advolitare avibus piscique natare,
Me sub sereno vespere
Astra videre juvat.
Nil est gratius in terra meliusque videndum
Quam caelum id astris consitum
Nubibus et vacuum.
Quam jucundum nobis adspectum exhibet orbis
Circundatus belle undique
Caeruleo spatio,
In quo plus quam lucent, aura agitante Favoni,
In vere flores, siderum
Maxima turba micat!
Quae spectacula caelorum dignissima visu
Una Satorem praedicant
Cordaque laetificant...
Umbrâ cum noctis jam omnino terra tenetur,
Quae amplissimo in caelo tremunt
Sidera conspicio.
Mecum volente ulteriora laboribus aequa
Quae solvet in caelo Deus,
Tristitiae umbra fugit.
Nam adspicere et contemplari sub nocte serena
Caeli decus mirabile,
Inclita regna poli,
Suavius est animis quam dulcia mella palato.
Dulcedo talis gignitur
Tale vidente decus!...
Tandem expande, expande mihi velamina, caelum;
Monstra nitores optimae
Alterius patriae.

HENRICUS PUJOLRÀS, C. M. F.

CURSUS GYMNASTICUS

In Georgica. (II 458-531)

AGRICOLARUM FELICITAS

*Sin has ne possim naturae accedere partes
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi
Spercheusque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! O qui me gelidis convallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra.*

Sin has... Ordo est: «si sanguis frigidus circum praecordia obstiterit ne (quominus) possim accedere has partes naturae». Poeta erroneam antiquorum opinionem participat, qui dicunt sapientiam vel stultitiam hominum majori vel minori caliditati sanguinis respondere. *Circum praecordia:* Doctrinam sequitur Empedoclis qui, ait Cicero (Tusc. I, 9) «animum esse censem cordi suffusum sanguinem». Unde *sanguis frigidus circum praecordia est animus hebes et tardus ad sapientiam*.

Rura mibi: (Cf. hic locus cum Hor. Sat. II, 6, 1: «hoc erat in votis, modus agri non ita magnus, Hortus ubi et tecto vicinus jugis aquae fons Et paulum silvae super his foret». Et Ep. I, 10, 6:

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari.
Fortunatus et ille deos qui novit agrestes,
Panaque silvanumque senem Nymphasque sorores.*

Felix qui... Facile omnia haec ad epicureorum doctrinam exigas. Neque est cur veteribus grammaticis, Vergilium epicureum fuisse tradentibus, fidem derogare velimus. (Cf. adnot.. ad Ecl. VI, v. 31 seq., in Pal. Lat. n. 32, pag. 75). In hoc Lucretium ducem sequitur et ma-

«ego laudo ruris amoeni Rivos et musco circumlita saxa nemusque».) *O ubi campi:* «Vergilius enthusiamo poetico abrep-tus, sententiarum ordinem turbat». (Hey-ne). Ordo et sensus hic est: O (utinam sit) qui me sistat ubi campi, cet. (Cf. variae lectiones apud Ribbeck.) *Campi Spercheusque:* endiades pro *campi ad Spercheum siti*; hic est mons Thessaliae, e Pindo monte fluens in sinum Malliacum. *Taygeta* (pl.): mons Laconiae, celeber orgii Bacchi. *Virginibus bacchata* (pas-siv.) *Lacaenis:* id est frequentata a Laconiae mulieribus, ibi festa Bacchi cele-brantibus. *Convallibus:* hanc lectionem prefero cum Wagnerio et codice Medi-ceo, (non *in vallibus*, ut vult Heyne, quia modo praecessit, vers. 485).

490

gistrum. (Cf. Lucr. De Rer. Nat. I, 48-152, ubi doctrina epicurea amplius exponitur.) *Felix qui potuit rerum cognoscere causas:* nobilissimus Vergilii versus, ait S. Agustínus (De Civit. Dei VII, 9). Vera beatitudo in sapientia est, et si quis in terris felix est, si quis ex omni

parte beatus, is profecto erit *qui potuit rerum cognoscere causas*. Potuit pro *potest* (Heyne); at Forbiger: «propria hic perfecti vis et significatio obtinet; debet enim jam cognovisse rerum causas, qui jure meritoque felix praedicandus est». *Atque metus omnes*: metus ex superstitione ac religione ortos, cf. Lucr. (III, 37): «Et metus ille foras praeceps Acherontis agendum, Funditus humanam qui

vitam turbat ab imo, Omnia suffundens mortis nigrore neque ullam Esse voluptatem puram liquidamque relinquit». Et Horatius (*Carm. I, 11*) «Tu ne quaevisciris scire nefas, quem mihi, quem tibi Finem di dederint». *Fortunatus et ille...* Post virum doctum nemo beatior agriculta. Cicero (*Cato Major*) de voluptatibus agricolarum «quae mihi, ait, ad sapientis vitam proxime videntur accedere».

Illum non populi fasces, non
Flexit, et infidos agitans discordia fratres,
Aut conjurato descendens Dacus ab Histro;
Non res Romanae perituraque regna, neque ille
Aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit nec ferrea jura
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

495

500

Fasces: Apud Romanos erant virginum fasciculi, quibus simul colligata erat securis, qui a lictoribus praeferebantur magistratibus tanquam insigne atque punitionum instrumenta; bini praetoribus urbanis, seni proconsulibus et praetoribus provincialibus, duodecim consulibus, vigintiquator dictatori. (cf. Cic. *de Lege Agraria*, 34, 39) Metonimice ponuntur pro magistratu, praecipue pro consulatu. (Hor. *Sat. I, 6. 96* «Parentes honesti fascibus et sellis».) **Agitans discordia fratris:** Ad hoc Heyne: «Respxit (poeta) Arsacidum dissidia quae in illos annos incident quibus Georgica prescripta esse et feruntur et videntur, inter consanguineos Phraatem et Tiridatem, quos per fratres declarat, agitata». Hanc interpretationem veram esse putat Wagner, quae tamen Ribbeckio non placet. Ut opinor poeta ad factum particulare non adludit, sed generatim declarat regni cupiditate bellum etiam inter fratres inflamari. (cf. v. 510 «gaudent perfusi

sanguine fratrum») Ita etiam Stampini, cui verbum *fratres* potius videtur adhibitum in sensu Lucretii III, 70 «Crudeles gaudent in tristi funere fratris»; (*intendendo le divisione prodotte nelle famiglie dalle guerre civili*). **Daci:** erant gentes inter Carpathos a Septentrione et Histrum (Dannubium) a meridie. **Conjurato Histro:** pro *conjurati populi ad Histrum*; metonimia Virgilio familiaris. (cf. *Geor. I, 510*, «hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum»). **Res Romanae;** i. e. vicissitudines imperii Romani, quas aliis regnis opponit quae peritura sunt et imperio adjicienda. **Aut doluit miserans inopem:** Juxta Servium, Vergilius loquitur ex Stoicorum sententia qui motus omnes animi atque affectus veluti morbos ex homine sublatos volebant ad bene beateque vivendum, speciatim misericordiam ut *vitium pusilli animi* (Seneca, *De Clem. II, 5*). Sed hoc ab humannissimo Vergilii animo prorsus abhorret. **Sensus est:** agriculta «remotus ab omni

pauperum miseria et divitum luxu ac faustu, animum ab omni perturbatione vacuum habere potest» (Heyne). In eodem sensu Tibullus (I, 1, 77): «Ego composito securus acervo Despiciam dites despiciamque famem». *Ipsa... volentia... sponte sua:* ad notionem primariam

fortius declarandam. *Tabularia* (pl.): locus in Capitolio quo senatus consulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio cujusque concessis habebantur. (Suet., *Vesp.* 8-Liv. 49. 16).

(separar)

H. MARTIJA, C. M. F.

Bibliographia

Ferdinandus Prat, S. J. Jesus Christ sa vie, sa doctrine, son oeuvre, (2 vol. in 8°, 596 pp. et IV-596 pp.) Beauchesne. Paris.

Omnis quotquot celebratum opus «*La Théologie de S. Paul*» multis jam abhinc annis mirantur (nec sunt pauci prout XX editiones demonstrant) laeto suscipient animo alterum ingenii fructus clarissimi P. Prat. Plura in duobus operibus invenimus communia: divisio eadem, similis quoque dispositio typografica atque methodologica, qua disquisitiones grammaticae ex quibus difficultas lectoribus oriri posset non in medio textu ut Fillion, sed ad calcem fere semper subjiciuntur. Non invenies quidem in novo opere scientificum apparatum amplitudine maxime atque perfectione confectum; alia enim mens auctoris fuit: «il ne s'adresse, inquit, ni aux débutants, ni aux maîtres mais à la classe moyenne de lecteurs». Nos tamen libenti animo Ptris. Lebreton sententiam suscribimus scribentis: «Non seulement son ouvrage sera d'une grande utilité aux étudiants, mais il instruira aussi les maîtres» (Etudes 5 nov. 1933). Et re quidem vera notulae historicae, archaeologicae, geographicas hinc inde sparsae, scientificis cognitionibus venustate quadam expositis, abundant. Praepterea fluidus elegansque sermo. Psicologicum Vitae Christi elementum cum expositione historica ita consociatur ut similia opera P. Lagrange, Lebreton, Joüon mirifice

compleat. In dubiis quaestionibus discutiendis clarissimus semper et securus, ita ut in nonnullis, fere omnium suffragia praevideatur faciliter obtenturus: Sr. ex. gr. excusum de die ultimae Cenae. (pp. 508-520, praessertim pagina 518).

M. CODINA, C. M. F.

Ausone. *Oeuvres en vers et en prose.* Traduction nouvelle de Max Jasinski 1-2 vol. Garnier-Paris.

Decimus Magnus Ausonius, poëta Burdigalensis, grammaticae et rhetoricae magister, filiorum Valentiniani preeceptor, in optimis sui temporis scriptoribus adnumerandus et plerisque praferendus est. Editionem integrum ejus operum cum interpretatione et adnotationibus adhuc non noveram, donec M. Jasinskius istum defectum adimplevit. Fundamentum operis cl. interpretis sunt editio critica (Peiper, apud Teubner) et editio Mosellae (M. de la Ville Mirmont, Burdigalae 1889). In introductione quaestio stabilitur utrum Ausonius Christianus fuerit. Non obstante intima Paulini Nolanici amicitia et Christiano aliquorum operum sapore, id nulla prorsus ratione potest affirmari.

Aulu-Gelle. *Les nuits Attiques*, Livres XLV-XX. Traduction nouvelle de Maurice Mignon. Garnier Paris.

Tertium apparet et ultimum volumen hujus operis cuius recensionem in PAL. LATINA instituimus (cf. n. 40 Mense Ja-

nuario 1934) ad quam lectorem remitti mus. Hoc posterum volumen duos completos indices habet: alterum rerum uniuscujusque libri, alterum vero historicum totius operis.

F. de Paola. *Storia della Letteratura Latina*, sec. editione, Dante Alighieri, Milano, 1935.

Haud facile est in unum breve quidem opus reducere historiam litterarum Latinarum, quod tamen Ferdinandus de Paola, cl. professor in Liceo Romano T. Mamiani planissime est consecutus, suo manuali scholis superioribus Italicis adcomodato. 400 pagellarum numerum non excedit, quibus ab originibus (a. 740 a. C.) ad Justiniani tempora (a. 523 p. C.) prosequitur. Operi ceterum exacto et completo, amplius deest et philosophicum studium stilisticae evolutionis, et praecipuarum notarum cujusque periodi.

A. Carrillo de Albornoz. *San Juan Crisóstomo y su influencia social en el Imperio Bizantino del siglo IV*. F. A. E. Madrid.

Omnibus qui historicis rebus incumbunt in comperto est evolutionem socialem juris Romani maxime influxu christianismi locum habuisse. Justiniani Institutiones nihil aliud sunt nisi Gagi Instituta, Christianis moribus magno quidem opere perfecta. Quae perfectio patet in primis quod ad servitutem, operarios et differentias inter pauperes et divites attinet. Cl. auctor influxui studet Scti. Johannis Chrisostomi in hujusmodi quaestionum socialium evolutionem. In commentario *Rozón y Fe* jam antea scripserrat studium cui titulus *Aspectos sociales del s. IV a través de las obras de S. J. Crisóstomo* (1932-1933). Opus vere criticum, historicum et philosophicum ornatur completa enumeratione documentorum, fontium et litterarum, adjunctis tredecim tabulis photographicis ex praecipuis codicibus.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

F. Dominico Báñez. *S. Tho. Primario Professore. — Biblioteca de Tomistas Españoles t. VIII. Scholastica Commentaria in Primam Partem S. Theol. S. Thomae Aq.* — Introducción General y Edición preparada en cuatro tomos por el M. R. P. Fr. Luis Urbano, O. P. Tomo 1 De Deo Uno, 20 pst.

«Bibl. de Tomistas Españoles» nuper publico novum obtulit volumen, idque primum operis vere magistralis Ptris. Dominici Báñez, qui commentator existit acutissimus et certissimus, si quis alius, Summae Theologicae quique, gravissimorum auctorum sententia, post immortalem Cajetanum palmam est adeptus. Praesens editio alteram Commentariorum iterum producit, quae anno 1585 ipso Báñez moderante prelo subiit. Textus autem Summae Theologicae est Summae Leoninae; orthographia in recentem criticam est accommodata. Praecedit Introductio Generalis in qua P. Aloisius Urbano agitat: 1 Operositatem et imaginem P. Báñez — 2 Generalem Operis Prospectum — 3 Comoediam Bannezianam — 4 Bannezium et Inquisitionem Hispánicam — 5 Charecteres operis Banneziani — 6 Dotes peculiares nostrae editionis.

JULIANUS PASTOR, C. M. F.

Tito Livio. *La Prima Decada*. Letture proposte e commentate dall' Prof. Giorgio Castellani — Quarta ediz.

Post brevem praefationem praebet clarus auctor introductionem haud brevem sed utilissimam de patria vita, et de omnibus quae ad intelligentiam operis Liviani quodammodo conferre possunt. Postea relicta praefatione operis incipit a libro I. Adnotationes sunt et grammaticae et historicae. Textus dividitur frequentibus titulis et collustratur varis imagunculis quae quamdam jucundam novitatem praestant. Nobis placet mirum in modum.

Titi Livi ab urbe condita. L. I. — con note italiane del Dott. **Mario Antino Micalella**. Quarta edizione S. E. Dante Alighieri, Genove.

In hoc libello commentator non solum ex aliis collegit ea quae sibi visa sunt aptiora ad juvandos adulescentes in Titi Livii interpretatione, sed ex propria observatione plura etiam addidit quae cum secretis Italicae linguae similitudinem majorem haberent Locos confer frequenter cum aliis auctoribus quo magis pateat eorum intelligentia. Sintaxim et stilisticam notat ut exciteatur alumnus ad constructionis exquirendas causas. Ita fit ut utilissimum deveiat opusculum ad scholas Latinitatis ad quas praesertim est destinatum.

Tito Livio. *Libro II delle Storie* con note del Prof. Giov. Palotta — seconda ediz.

Eodem fere modo procedit ac praecedens opusculum cuius est continuatio et proinde simili commendandum laude.

E. JOVÉ, C. M. F.

D'Amico Orsini, *I carmi di Catullo* (scelti e annotati) Firenze, F. Le Monnier, 1935.

Alium jam in superiore numero libellum ejusdem D'Amico recensuimus. Porro huic Catulli poematum editioni easdem laudes dicere fas est. Carmina selecta traduntur atque ab iis expurgata fragmentis quae juvenibus in moralitate offendiculo esse possunt. Ceterum editionem commendant, non parum quidem, notulae et historiae et grammaticae; omnia denique ad unguem typis expressa.

U. Paoli, *Marziali-Epigrami scelti*, 2 ed. Firenze, F. Le Monnier, 1935.

Haec selectorum Martialis epigrammatum editio non omnia ponit illius poetae opera, sed optima quaeque seligit. Hugonis Henrici Paoli curae debetur. Satis lucet ad interpretationem iter sco-

pulis plenum auctorem facere debuisse; ast meo quidem judicio optima quidem fortuna ejus laborem coronavit qui litteris Latinis optime servire perget, cum Martialem nostrum evulget qui minus agnoscitur in scholis quam pro illius praestantia.

L. FANLO, C. M. F.

G. Senigaglia, *Le Catilinarie I e II* con note, Dante Alighieri, V Ed. 1933.

Inter tot tamque egregias commentationes in adversus Catilinam invectiones, hae adnotaciones Dni. Senigaglia minime dignandae. Commentationes maxime tendunt ut concinnitas orationis facile pateat atque praesertim consecutio. Initio historicam disquisitionem proponit paginas usque XXX productam. A. sequitur praeprimis textum Clarki Oxonii Collectionis, nonnullis immutatis locis, juxta textum Cl. Mueller edit. Teub. Quintum jam preio subierunt hae adnotaciones ex quo intelligi potest qualis eorum sin conditio.

J. Zwior, *Introd. alla Lingua Latina Liturgica*, trad. di O. Bartsch. Ed. Marietti, p. 131.

In laudem hujus libelli dicere oportet italicice tum translatum esse cum septies jam germanice prelis mandatum fuerat. Mens auctoris recta quidem: videlicet feminis, quae, Deo mancipatae, divinas laudes psalere tenentur, principia linguae latine tradere quo melius suum opus perficere queant. Grammatices tamen expositio nimis fortasse summaria videbitur, nam LXXV tantum plagulae totam rem grammaticam cum respondentibus exercitiis capiunt. Duplex sequitur vocabularium, lectionum sc. et alphabeticum. Placet praeterea exercitorum selectio ex libris liturgicis. Nonne resuget qui Hispanicam hujus operis translationem accurate paret in utilitatem tot religiosarum quae lingua utuntur hispanica?

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Luna Pekinensis. — I. Quidam homo regressus est ab urbe capite. Ex quo domum suam pervenit, ut primum loqui de quacumque re occipiebat, nihil aliud quam res pekinenses laudabat. Quadam die, cum appeteret nox, simul cum patre, fulgente luna, iter faciebat. Qui nitor lunae hac nocte!, ait pater. Sed filius confestim respondit: hic nullus equidem nitor; magnum discrimin est cum luna pekinensi. Exasperatus pater ei maledixit dicens: stulte loqueris! Sub caelo luna est omnibus eadem, etiam Pekini; quomodo igitur discrimin esse potest? Simil ei magnam impingit alapam. Dum filius flens exclamat: Eja! omnia reliqua nostra nihil pensi habeantur; sed profecto alapa tua pekinenses superat.

LUDOVICUS CORTINA PRIETO

Seminarii Vallis-Dei apud Ovetum alumnus.

II. Homo quidam urbe ex capite redierat. Ex quo tempore ad suos per venerat, ut primum de re quacumque loqui occipiebat, nil aliud quam pekinensis laudabat. Quondam, cum nox ad petebat, viam cum patre, luna splendente, faciebat. Quam nitida nunc luna! — dixit pater. At filius statim: hoc dici clarum non licet; magnum est enim discrimin inter hanc atque pekinensem lunam. Iratus pater imprecatus est ei dicens: stulte loqueris! Sub caelo una atque eadem ubique est luna; et Pekini haec collucent; quomodo igitur discrimin esse potest? Quumque hoc diceret, gravem ei alapam impegit. Tum plorans clamavit homo: age, nil cetera apud nos valeant, at profecto alapa tua multo praestat quam pekinenses.

IGNATIUS CEREZO

Stac. Catharinæ Latinitatis alumnus-Verdolaj.

III. Homo quidam rediit ab urbe capite. Ex quo ad suos pervenit, ut primum de re quacumque loqui occipiebat nihil aliud quam laudabat res Pekinenses. Olim cum nox adpetebat iter faciebat cum patre, dum terra lunae lumine illustrabatur. Pater:—Heu! quam clara, ait, nonc̄e ista est luna!—Sed filius statim respondit:—Haec luna dici non potest clara; nam discrimin magnum inter hanc et Pechinensem intercedit. Furens pater ei maledixit dicens: Inscienter loqueris! Sub caelo luna eadā est in omnibus orbis partibus; Pechinum etiam hanc habet lunam, quomodo igitur dari potest discrimin?

Atque sic dicens ei sollemnem impletit alapam.—Tum flens homo:—Age! inter nos, inquit, aliqua nihil sunt. At profecto alapa tua melior est quam Pekinenses.

HANNIBAL DEL MANSO

Tusculi, Pridie idus Martias.

IV. Homo quidam regressus est ex urbe capite. Ex quo venerat ad suos, ut primum occipiebat loqui de re quacumque, nihil aliud quam laudabat Pekinensis. Quondam die, cum nox adpetebat, ambulabat cum patre sub splendore lunae. Ut lucet luna hac nocte! inquit pater. At statim filius respondit: Quis hoc dicat clarum? maxime interest inter hanc et lunam illam Pekinensem. Furore accensus pater, maledixit illi dicens: Stulte loqueris! Subter caelum, luna eadē est ubique gentium ut etiam Pekini, quomodo igitur sit discrimin? Haec dicens insignem ei impegit alapam. Tunc noster homo exclamavit gemebundus: Eja! Cetera inter nos nihil valent. At profecto tua alapa melior est quam Pekinenses.

JESUS AB IRAOLA

Onniati.



Compositiones vertendae

Fures abigendi domo

Qui res secure conservare vult suas
Latronum cautus devitet molimina. (1)
Latina de gente vir in primis nobilis
Degebat saepe ruri, cultu splendido
Domum exornatam, spectandam arte, possidens.
Aderant frequentes simulatores callidi,
Errones (2), ficti amici et cum baltronibus (3)
Adulatores, omnes furto dediti.
Nocturni expilant fures nec praeda carent
Diurni, multa et facili; nihil nempe prohibet.
Ex paucis quidam sincerus amicus monet
Herum suosque, sed monet frustra, neque
Tam triste paeplidire damnum unquam potest.
Postremo exclamat: Aliquando, ad solem novum, (4)
Somno surgentes domini cernent artibus
Latronum miris ablata esse ipsam domum.

Rocci, S. J.

Notulæ.—(1) Maquinaciones.—(2) Vagabundos.—(3) Fanfarrón.—(4) Al amanecer.

El Cirujano Cuento Chino

Un soldado en la batalla (1) fué alcanzado (2) por una flecha. Dejado (3) el combate, se volvió (4) y rogó a un cirujano que le tratase. (5) El cirujano examinó y dijo varias veces seguidas: (6) Esto no es nada, esto es fácil de arreglar. (7)

Luego tomando unas grandes tijeras, cortó el asta (8) de la flecha por el exterior, al ras de la piel. (9) Terminada esta operación, pidió sus honorarios. (10) El soldado le dijo: el asta de la flecha ¿quién no sabe cortarla? Pero dentro

de la carne está la punta de la flecha, y ésta ¿cómo me la sacarás?

Pero el cirujano meneando (11) la cabeza, dijo: Esto ya no me interesa. (12) Esto ya es negocio del médico interno. Así que (13) dame mis honorarios para que pueda marcharme.

Notulæ.—(1) Proelium. (2) Attingo. (3) Relinquo. (4) Revertio. (5) Medeor (dat.) (6) Iterum iterumque. (7) Expedio. (8) Hastile. (9) Ad summam cutem. (10) Merces-edis (sing.) (11) Micare (con abl.). (12) Mea nihil refert. (13) Igitur.

PHILATELIA

Quiere V. favorecer grande mente las Misiones de negritos e infieles? — No desperdicie V. **ni un sólo sello** sea nacional, sea extranjero.

Todos los recibe con gusto y agradecimiento

Visne Missionibus Nigritarum atque infidelium summopere fave re? **Ne unum quidem signaculum neglegas**, sive nationale si ve exterum:

Omnia ea recipit libenter et grato animo

EL CIRCULO FILATELICO MISIONAL. - UNIVERSIDAD, CERVERA (Lérida) España